Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0001-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0002-2

ΠΡΑΞΕΩϹ
LOGICÆ SPECIMEN,
SIVE
PRÆCEPTORUM LOGICORUM,
Quoad
ANALYSIN
ET
SYNTHESIN SEU GENESIN USUS.

JENÆ, EX OFFICINA SENGENVVALDIANA, SUMTIBUS MARTINI MÜLLERI, BIBLIOPOLÆ NUMBURG.

ANNO cIↄ Iↄc LVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0004-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0005-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0006-3

PRAXIN HANC LOGICAM
D. D. D.
M. JOHANNES SEBASTIANUS
Mitternacht/ILLUSTRIS RUTHENEI
RECTOR.
ADOLESCENTIBUS
NOBILISSIMIS, ET BONO PATRIAE
PUBLICO NATIS,
DISCIPULIS OBSEQUENTISSIMIS,
EO, QUEM IN GYMNASIO OBTINENT,
ORDINE LOCATIS:
JOHANNI Fiſchern/ Gerano.
HEINRICO Richtern/ Gerano.
BERNHARDO Pflug/ Equiti Miſnico.
ANDREÆ Büttnern/ Gerano.
JOH. HEINRICO Meyern/ wolckenſt. Miſn.
JOH. CHRISTOPH. Weiſſen/ Cizenſi Miſn.
GOTTLIEB Fabro, Chemnicenſi Miſnico.
JOHANNI Pfeiffern/ Gerano.
JOACHIMO Weiſſen/ Mariemont. Miſn.
DANIELI Zahmſeiln/ Cygnæo Miſn.
JOH. HEINRICO ab Ende/ Equiti Miſn.
FRIEDERICO Körbern/ Aurobacenſi Var.
JOH. ADAMO Sörgeln/ Jenenſi Thur.
JOH. HEINRICO ab Haubitz/ Eqv. Miſn.
JUSTO JONÆ à Coſpodt/ Eqv. Variſco.
IOH. CONRADO à Steinsdorff/ Eq. Var.
IOH. ALBERTO à Meußbach/ Eqv. Thur.
IOH. CHRISTOPHORO Freund/ Gerano.
HEINRICO SALOMONI Wolfen/ Slaiz.
CHRISTOPHORO Wohlwehrten/ Gerano.

Accipite, o JUVENES, quod veſtro mancipo honori,
Hoc munus, atq; idem probè pervolvite.
Serviet id ſtudiis veſtris, & multa docebit,
Prodeſſe quæ vobis queunt & PATRIÆ.
SUPREMUM NUMEN vobis benedicat abundè,
Ut indies creſcatis in ſtudiis bonis,
Et velut Atlantes ſuffulti pectore docto
Suffulcitatis res ſalutis publicæ!

AD LECTOREM.

DIſciplinas, quas INSTRUMENTALEIS vocant, non ideò addiſci, ut illas ſciamus vel cognoſcamus dumtaxat, ſed potiſsimùm ut transferamus ad uſum; id unc fatentur ore eruditi omnes. Quia verò Logices uſus ad cognoſcendas atq; dijudicandas res ipſas, qu in diſciplinis realibus & ſuperioribus facultatibus traduntur, dirigendus eſt; neque omnes diſcipuli, quibus in Scholis Gymnaſiisque Logica inſtillatur, diſciplinas illas realeis aut facultates, Theologiæ compendia excipiamus

mus, addiſcunt; hinc ſæpe numero fit, ut præter exempla, quæ præceptis ipſis ſubjiciuntur, non habeant tirones ſtudii Logici, in quo ſe exerceant. Eapropter conſultum duxi, uſum Logicorum præceptorum ex materiâ oſtendere, quam Auctores Claſſici, ceu vocantur, ſuppeditant. Illos enim ita explicare conſuevi, ut primùm ſi quæ, quoad conſtructionem Grammaticam, difficiliora videantur, illa ex regulis Grammaticis illuſtrentur: deinde Tropi Figuræque, nec non Inventionis ac diſpoſitionis artificium ex Rhetoricis noſtris Elementis oſtendantur: ac tandem voces ac termini, nec non propoſitiones & argumentationes, quę apud Auctores occurrunt, ad Logicarum præceptionum normam examinentur. Et hujus rei ſpecimen in Praxi iſtâ edere, omniumque oculis exponere volui. Neq; perſuaderi poſſum, ut credam, fore quem-

quam, qui id vitio mihi vertat, aut hæc, ut nimis puerilia, rideat. Non enim eſt, quod ſperemus, à Scholarum & Gymnaſiorum alumnis ſubtilia illa, quæ Celeberrimi quidam VIRI ante me de Analyſi aut uſu Logico adcuratiſſimè tradiderunt, capi PERFECTE poſſe. Nam illa pleram partem ſtudiis Academicis deſtinata ſunt & adcommodata, ſeverioresque Diſputationes concernunt. Prudentiæ igitur Scholaſticæ eſt, præceptionum Logicarum uſum attemperare Scholaſticorum captui, ne tempus pariter ac ſumtus pereant, dum ardua, captumque ac vires diſcentium excedentia fruſtra inculcantur.

Interim ſi quos diſcipulos deprehendo, qui ſatis exercitati videntur in hiſce rudimentis πράξεως Logicæ, illis utriusque Martinii, JACOBI ſcilicet & CORNELII, aliorum-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0014-8

rumque ſcripta doctiſſima commendo.

Tandem, ut numeros, quibus uſi in hac Praxi fuimus, omnes, qui lecturi ſunt, intelligant ſciendum eſt, quod numerus PRIOR, ſive Romanus, CAPUT; POSTERIOR verò, ſive Arabicus, PARAGRAPHUM illius capitis deſignet.

Si TERTIUS aliquando accedat, Canonem ille notabit. Librorum numerum ideò non adjeci, quod illius ſub cujuslibet Capitis in hac Praxi auſpicium mentio fiat. Quæ enim ad ſingulorum terminorum examen pertinent, illa ad lib. I. Part. generalis: quæ integrarum Propoſitionum conſiderationem ſpectant, ad ejusdem partis lib. II. & quæ argumentationes ac Syllogiſmos expendere docent; ad lib. III. ſunt referenda.

Et hoc monendum in frontiſpicio duxi, ne quis ſcopo meo ignorato ſiniſterius de labore noſtro judicet. Tu verò LECTOR BENEVOLE,

-- -- -- ſi quid doctius iſtis
Noveris, expromes. Si non, his utere mecum.

Vale ex voto, &, ſi neceſſe eſt, candidè me mone. Gratus id accipiam, &, ſi meliora utilioraque moſtraveris, TE ſequar.

MATE-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0018-0

MATERIA ΑΝΑΛΥΣΕΩΣ
ESTO ODE XVI. LIB. II. CARM.
HORATII.

CAPUT I.

EXAMEN SINGULORUM VOCABULORUM,

quo exercetur

PRIMA MENTIS OPERATIO,

Juxta part. general.
lib. I.

PRenſus] eſt *paronymum* ſive Denominativum cap. I. §. 10. Abſtractum eſt *prenſio* vel *prehenſio*, quâ voce, teſte Gellio in N. A. l. XIII. c. 12. Varro, quamquam in ſpecialiſſimâ ſignificatione, uſus fuit.

Eſt & *Æquivocum* c. I. §. 3. propriè enim eſt *manu alicujus conſtrictus*; h. l. autem per metaph. eſt, *fluctibus circumdatus & incluſus*.

Eſt igitur Æquivocum *conſilio fa-*

ctum cap. I. §. 4 Significatio h. l. facilè colligitur ex conditione materiæ ſive contextus c. I. §. 5. canon. 3. Quid enim eſt aliud, *prenſus in patenti Ægæo*, quàm, *maris Ægæi fluctibus q. obſeptus?* Cumque ſit Paronymum, prædicatur in quale, & in *concreto* c. I. § 13. canon. 1. & eſt in Prædicamento *Paſſionis*, quò pertinet *prehenſio* reſpectu patientis conſiderata can 2. Si prædicetur v. g in hac propoſitione:

Q. homo eſt prenſus in Ægæo;

eſt *accidens* c. II. §. 21. & quidem *ſeparabile*. §. 22. prædicabile & prædicamentale §. 23. Prædicari enim poteſt, & tamen non eſt ſubſtantia. Contingenter dicitur de ſubjecto nempe homine §. 24. can. 1. & abeſſe poteſt, can 2. Eſt & *differentia* communis, quâ differt *prehenſus* ab eo, qui non eſt prehenſus c. II. §. 16. diſtinctione 1. Reducitur, quod paulò antè monebamus, ad prædicamentum *Paſſionis*, cap. III. §. 2. & 50. Eſtque prehenſio paſſio *transmutati-*

tativa §. 51. Opponitur *prehenſus prehendenti* quodammodo *Relativè* cap. IV. §. 5. ſed *non-prehenſo* contradictoriè. §. 8. Contradictio implicita eſt, quâ opponuntur *prehenſus* & *intactus*. §. 9. *Simul* ſunt *prehendens* & *prehenſus* §. 12. Sunt enim quodammodo relata cap. III. §. 45. can. 4.

II. IN ÆGÆO PATENTI.

VErba iſta ſimul ſumta pertinent ad Prædicamentum Ubi. cap. III. §. 55.

III. IN.

ESt terminus Syncategorematicus.

IV. ÆGÆUM.

ESt *Homonymum* cap. I. §. 3. propriè enim illud mare notat, qvod hodiè vocatur *Archipelagus*. Et hoc mare

Ægeum antiquis dicitur ab *Ægeo* Theſei parente, qui ſe in illud præcipitaſſe creditur. Sed h. l. notat *mare quodlibet* per ſynecd. ſpeciei. Porrò Ægæum propriè dictum eſt *Individuum* cap. II. §. 2. quod effertur nomine proprio c. II. §. 5. num. I. ejus *quaſi ſpecies*, ſub quâ ponitur, eſſe poteſt Mare, cap. II. §. 12. quod, pro aquâ collectâ acceptum, eſt in Prædicamento *Subſtantiæ* c. III. §. 5. & eſt *Subſtantia ſecunda* c. III. §. 8. quemadmodum Ægæum *prima* eſt §. 7. Ægeo contradictoriè opponitur τὸ *Non-Ægeum* IV. 8. 9. Ejusdem Diſparata ſunt *maria alia* v. g. *Adriaticum*, *Tyrrhenum* IV. 11. Ægeum iſtud *prius* eſt *tempore* Ægæo in illud delapſo: *naturâ* v. *prius* eſt ſalſedine ſuâ, velut ſubjectum prius eſt adjuncto: & ſi è Septentrione verſus meridiem movearis, *ordine* prius eſt mari Cretico IV. 12.

V. PATENS.

NEque hoc omni caret *æquivocatione*. Primùm enim diſtinguitur à *patulo*, quòd *patulum* dicatur, quod

perpe-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0025-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0026-4

perpetuò patet; *patens* verò, quod ad tempus ſaltem. Deinceps opponitur *exiguo* & *anguſto*, & æquipollet quodammodo *vaſto*, *extenſo*, *diffuſo*, quo ſenſu Colum. l. XII. c. 8. *patentisſimi oris dolium* dixit, & Cic. locum *longè lateq́ patentem*, & Virg. *campos patenteis*. Et ita h. l. ſumitur. Patens porrò eſt *Denominativum* I. 10. *Abſtractum* vel formâ denominans eſt equidem extra uſum, ſi tamen formari opus ſit, analogicè erit *patentia*. *Subjectum*, quod à formà denominante denominatur, eſt *Ægæum*. Iſtud enim hoc loco dicitur *patens*. cap. I. 11. Reducitur autem ad prædicamentum *Quantitatis* III. 13. & quidem ad *primam* ſpeciem §. 15. videtur enim *patentia* iſta h. l notare *ſuperficiem* admodum capacem §. 8. vel eſſe *extenſionem* quamdam ſuperficiei. Ulterius, patens opponitur aliquando *clauſo*, v. g. ſi dicatur de muséo, quòd modò ſit clauſum, modò patens; h. l. quod monuimus jam opponitur *anguſto* & *exiguo*. Ægæum e-

nim patens nihil eſt aliud, quàm *mare vaſtum, amplum, ſpacioſum.* c. IV. §. 3. De Ægæo itaque τὸ *anguſtum* prædicari ejusdem rei reſpectu nequit IV. 13. *Contradictoriè* opponuntur: *Patens*, & *Non-patens.* § 8. *Poſterius* quid eſt PATENTIA reſpectu ipſius Ægæi. Adjunctum enim *naturâ* poſterius eſt ſubjecto. §. 12.

VI. SIMUL AC ATRA NUBES CONDIDIT LUNAM, NEQUE CERTA FULGENT SIDERA NAUTIS.

ISta verba omnia ſimul ſumta pertinent ad prædicamentum QUANDO. cap. III 53. Sunt enim nihil aliud, quam περίστασις τοῦ χρόνου, quâ reſpondetur ad quæſtionem factam per QUANDO ſcil. homo *patenti Ægéo prenſus roget Divos otium?* Continent autem deſcriptionem cœli tempore nocturno undiquaque nubibus involuti, & quaſi ex oculis nautarum ſubducti.

VII. SIMUL.

PRo *ſimul ac*, uti Liv. l. VI. Bell. Pun. Qui *ſimul* in poteſtate veſtrâ erunt, ex-

extemplò omnia, quæ nunc ſub Carthaginenſibus ſunt, in ditionem tradunt. Eſt autem terminus *Syncategorematicus*, qui, definiente Phil. Du Trieu, eſt *vox, quæ per ſe nihil ſignificat certi ac determinati, aliis tamen juncta illis certum ſignificandi modum tribuit.*

IIX. NUBES.

ISTud etiam *æquivocum* eſt I.3. & quidem *conſilio* factum I.4. Quid *nubes* ſit in propriâ ſumta ſignificatione, patet. Translatè notat *triſtitiam* & *ſeveritatem.* Ita Horat. libr. I. Epiſt. ad Loll.

De me ſupercilio *nubem* ---

Quo ſenſu Cicero etiam in Piſon. *Neque tam fui timidus, ut, qui in maxumis turbinibus ac fluctibus Reip. navem gubernaſſem, ſalvamq; in portu collocaſſem, frontis tuæ NUBECULAM pertimeſcerem.* Alia ſignificata vide apud Lexicographos. Porrò nubes & *univocum* eſt reſpectu hujus, illius, iſtius nubis I. 6.

&

& *ſpecies* II. 11. prædicatur enim de individuis. *Genus* ejus eſt *meteorum aqueum*. Eſt autem ſpecies *ſubalterna* II. 13. Dicitur enim de variis nubibus, quarum differentias explicant Phyſici. Quando de aëre dicitur, v. g. *aër eſt nubilus*, tum eſt *accidens* aëris II. 21. & quidem *ſeparabile* II. 22. ac non prædicamentale, ſed *prædicabile* II. 23. Et quia accidentaliter dicitur de aëre, prædicatio fit in *concreto*, quod fieri ſolet, quoties *diſparatum de diſparato* dicitur IIII. 14. Rectè igitur dicitur: *Aër eſt nubilus*. Sed minus rectè: *Aër eſt nubes*. Pertinet autem nubes ad prædicamentum *ſubſtantiæ* III. 5. & eſt ſubſtantia *ſecunda* III. 8. h. l. verò videtur Poëtæ eſſe ſubſtantia *prima* III. 7. quia deſcribitur ut ſenſibus mediante atro colore objecta.

IX. ATRA.

LAborat & iſtud vocabulum ſuâ quâdam ὁμωνυμίᾳ. Color enim *ater* eſt, & odor *ater* Virgil. III. Æn. ac dies *atri*. VI. Æn. quæ diverſiſſimâ illu-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0034-8

illuſtrantur *definitione*, licet nomen habeant commune I. 3. 4. Eſt autem *Paronymum* I 10. abſtractum eſt *atror*. Subjectum à formâ denominante denominatum eſt h. l. *nubes* I. 11. & atror iſte *Species* eſt coloris II. 12. ac *differentia* communis, quia accidens ſeparabile reſpectu nubis II. 16. Eſt & *proprium* corporis in *primo* modo II. 19. Nam ſolum corpus eſt atrum, ſed non omne Eſt & *accidens ſeparabile* II. 21. 22. Itaq; παρωνύμως prædicatur de nube, tamquam de ſubſtantiâ I. 13. can. 3.

Porrò *Paronymum* iſtud vel concretum *atra* reducitur ad id prædicamentum, in quo *atror* eſt, vel *atritas*, quâ voce *Plautus* utitur in Pœn. Vide Medull. c. III 2. & l. 13. can. 2. Eſt autem *atror* in *tertiâ* ſpecie *Qualitatis*, quæ vocatur patibilis qualitas, & quidem in *corpore* III. 35. *Contrariè* opponitur atrori *candor* vel albedo IIII. 6. *Contradictoriè*, non-atror. Ergò unum idemque ſubjectum ſimul, & ſecundum idem non eſt *atrum* & *al-*

bum

bum IIII. 13. Suntq; *ſimul* atror & candor IV. 12. quia ſpecies ſunt ejusdem generis.

X. CONDIDIT.

HAbet & iſtud verbi ſuam ὁμωνυμίαν I. 3. *Condere* enim primò eſt, ſimul, cum alio, vel in unum dare à CON & DARE. 2. *abſcondere*, uti h. l. 3. *conſtruere*, quo ſenſu Ovidius dixit: *muros condere*, & DEUS dicitur *condidiſſe* mundum ex nihilo. Porrò vox iſta CONDIDIT eſt *Paronymum* I. 10. cujus abſtractum eſt τὸ *condere*, vel ipſa *conditio* pro condendi actu poſita; quamquam vulgò longè ſignificet aliud. *Concretum* vel Denominativum ab abſtracto iſto deductum, vel eſt *activum*, v.g. *condidit*, uti h. l. vel *paſſivum*, ut *conditus, a, um*. Omnia enim verba perſonalia & finita ſunt *concreta*. Quando autem τὸ *condere*, utpote accidens II. 21. dicitur de ſubſtantiâ, ſcil. de *nube*, prædicatio fit in *concreto* ſeu παρωνύμως I. 13. can. 8. & 5. v. g. *Nubes condidit.*

dit. Reducitur concretum iſtud verbi Activi ad prædicamentum *Actionis*, ubi eſt τὸ *condere* I. 13. can. 2. & III. 47. & propriè ſumtum eſt actio *materialis*. §. 48. Ejus *contrarium* eſt *promere* IV. 6. Videtur τὸ condere *tempore prius* eſſe, quàm *promere* IIII. 12. Nihil enim promimus, niſi quod conditum antè fuit. Una itaque & eadem res non poteſt *ſimul* condi & promi ſecundum idem IV. 13.

XI. LUNA.

QUid propriè notet *Luna*, liquidisſimum eſt. Per metonymiam tamen aliquando ponitur pro *nocte*, cui præeſt; ut vel hac de causâ immunitatem ab ὁμωνυμίᾳ non habeat. Eſt autem *individuum* II. 2. quamquam non ignoramus, eſſe, qui ſtatuant, non videri abſurdum, ſi vel maxumè *Lunam* & *Solem ſpeciebus* adnumeremus. Etſi enim *una* ſaltem ſit Luna numero, non tamen ſimpliciter repugnat, eſſe poſſe *plures*. Eſtque Luna *Subſtan-*

ſtantia III. 5. & quidem *prima* §. 7. quia neque in ſubjecto eſt, neque de ſubjecto dicitur. Inde nihil ipſi eſt *contrarium*. III. 10. can. 2. neque recipit *magis* aut *minus*, etiamſi quoad lumen vel ſplendorem *creſcat* ac *deficiat*. ibid. can. 4. *Disparatum* eſt luna reſpectu *Solis* & aliarum *ſtellarum*. IV. 10. *Poſterius* quid eſt *cœlo* Luna, & quidem *tempore*. Cœlum enim *ſecundo*, Luna verò *quarto* demum die creata. *Simul* eſt cum Sole, cum quo tamen *dignitate* non eſt ſimul IV. 12.

XII. NEQUE.

VOcabulum iſtud eſt *Syncategorema*.

XIII. SIDERA.

SIdus propriè figuram cœleſtem notat, pluribus conſtantem ſtellis. Differt igitur à ſtellâ ceu *totum* à *parte*. Et iſtiusmodi ſidera dantur dumtaxat in *ſphærâ octavâ* ſtellarum fixarum. Aliquando tamen & *Planetæ* dicuntur *Sidera*. Ita Plin. l. 2. N. H. cap. 6. *Inter hanc terram, cœlumq́ʒ,*

eodem

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0044-4

XIV. CERTA.

PAronymum hoc eſt, I. 10. abſtra-ctum eſt *certitudo*; denominatum verò *ſidera* I. 11. *Certa* autem heîc ſidera dicuntur, quæ *certò* nautis ſunt *cognita*; uti nonnulli interpretes Poëtæ monent. Eò fit, ut abſtractum h. l. vix *unâ* voce poſſit exprimi: poteſt tamen dici *certa cognitio*, quæ opponitur *opinioni, dubio*, & *conjecturæ*. Dum a. ſidera *certa* exponuntur h. l. *certò cognita*, ſciendum eſt, hanc denominationem eſſe *extrinſecam*; nec ſequi inde, agnitionem certam & indubitatam, eſſe in ſideribus *ſubjectivè*, quod aliàs monetur l. 13. can. 4. Ille n. canon ita intelligendus eſt; *cui tribuitur, per denominationem intrinſecam, concretum, eidem neceſſe eſt, rem ineſſe, quæ voce abſtracti ſignificatur*. Aliàs n. ſequeretur, parietem, quia *videtur*, habere in ſe *viſionem*; & res inanimatas, quia *cognoſcuntur*, habere in ſe *cognitionem*; vel ſonum, quia *auditur*, habere in ſe *auditum*, h. e.

au-

audiendi potentiam. Monet iſtud *Phil. Du Trieu*, tract. I. part. I. cap. I. artic. 6. *Accidens* autem eſt ſiderum, *certò cognita eſſe* ab hominibus II. 21. Certa verò ſiderum notitia *ſpecies* eſt notitiæ certæ generaliter ſumtæ II. 12. & *differentia* propria, quâ differt Mathematicus vel Nauta ab aliis, qui certam iſtiusmodi ſiderum notiam non habent. II. 16. & *proprium* hominis in *primo modo* II. 19. Reliqua enim animalia certam ſiderum notitiam habere non poſſunt. Porrò in quo prædicamento eſt *certa ſiderum notitia*, in eodem etiam eſt concretum, v. g. *certò cognitum eſſe* III. 2. Illa autem eſt in *primâ Specie Qualitatis*, quæ vocatur *Habitus*. III. 26. & certa iſta notitia eſt habitus *adquiſitus* §. 29. itaque recipit *magis* & *minus* III. 39. propr. 2. admittitq; *contrarietatem*. ibid. propr. 1. *Relativè* oppoſita ſunt *certa notitia*, & *certò-cognitum*; uti *ſcientia* & *res ſcita*; ſed non ſunt relata *prædicamentalia* III. 24. IIII. 5. *Privativè* certæ no-

eodem ſpiritu pendent certis diſcreta ſpatiis ſeptem ſidera, quæ ab inceſſu vocantur errantia, cum errent nulla minus ipſis. Aliquando etiam notat hominem *clarum*, gentisque ſuæ *decus & ornamentum.* Eſt itaque & hoc vocabulum non expers ὁμωνυμίας. *Nomen* enim *ſideris* commune quidem eſt multis, ſed *definitio* juxta illud nomen diverſiſſima oritur I. 3. Propriè acceptum vocabulum, τὸ *ſidus* nempe, eſt etiam *Synonymum:* quia & nomen & definitionem communicat *Herculi*, *Andromedæ*, *Ophiucho*, *Orioni*, aliisque. Hæc enim omnia & *ſidera* vocantur, & *definitionem* ſideris eamdem admittunt. I. 6. Itaque vox *Sidus* eſt *univocum univocans*; ſed Hercules, Andromeda, Ophiuchus, Orion, &c. ſunt, *univoca univocata.* I. 8. Quicquid igitur de ſidere univerſaliter prædicatur, prædicabitur etiam de Hercule, Andromedâ, &c. v. g. *in cælo poſitum eſſe, à DEO creatum eſſe; fulgere,*

ſitum

ſitum ſuum non mutare, ſpacio XXIV. horarum circumvolvi per motum primi mobilis, &c. I. 9. can. 2. Porrò ſidus eſt *ſpecies* II. 12 cujus *individua* paulò antè commemoravimus. Sunt, qui in voce *ſidera* apud Horat. h. l. ſynecdochen generis pro ſpecie ſtatuant, dicantque, per ſidera certa intelligi *urſam utramque*, præcipuè verò *minorem*, in cujus caudâ ſtella eſt, quam *Cynoſuram* vulgò vocant, nautis cumprimis obſervandam. *Sidus* autem prædicatur, ut *accidens prædicabile* II. 23. de cœlo, *diſparato* ſuo IV. 11 & 14 in *concreto*, v. g. *cœlum eſt ſidereum*. Cumque ſidus non ſit *ens unius naturæ*, ſed *unum per accidens*; plures enim includit ſtellas; directè & propriè non eſt in aliquo prædicamento, ſed tamen ratione ſtellarum, quibus conſtat, ad prædicamentum *ſubſtantiæ*; ratione verò formæ, quam ſtellarum diſpoſitio & habitudo, quam ad ſe invicem habent, parit, ad *quartam ſpeciem Qualitatis* reducitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0048-6

notitiæ opponitur *ignorantia puræ negationis*, cap. IV. 7. *Contrariè* verò *ignorantia pravæ diſpoſitionis.* IV. 8. Ergò quamcunque rem certò novi, illam neque ignoro, neque cum dubio aut falſo conceptu agnoſco. IV. 13.

XV. FULGENT.

EST *Paronymum* I. 10. abſtractum eſt *fulgor*, res denominata *Sidus.* I. 11. Homonymiam, quam habet, jam tacitè præterimus. Fulgor autem *ſpecies* eſt ſenſibilium ſive ſenſilium. II. 12. τὸ *fulgens* verò generis, ſed analogi. I. 7. indolem habere videtur. Fulgent n. *æther, dies, gladius, ignis, roſa, arma,* aliaq; talia, uti ex lectione auctorum liquet. Poteſt itaq; *ſpecies ſubalterna* dici II. 13. vel *genus ſubalternum.* II. 10. Si quis igitur dicat: *Hoc fulget*; non colligendum ilicet erit: ergò *ignis* eſt. Ergò *gladius* eſt &c II. 11. can. I. Aſt quia fulgor, reſpectu rerum, quæ fulgent, *accidens* eſt, rectiùs *accidens commune* dixeris, quam *ſpeciem* vel *genus*. Quod ſi tamen fulgor non reſpectu

rerum, quibus ineſt, ſed reſpectu hujus, illius, iſtius fulgoris, conſideretur, inter *Synonyma* referri poteſt. Sin porrò quis universè neget, dari fulgorem, rectè collegeris, ergò nec *æther* fulget, nec *dies*, nec *gladius*, &c. II. 11. can. 2. Refertur autem fulgor ad *tertiam ſpeciem Qualitatis*, III. 34. eſt n. *patibilis qualitas in corpore*, §. 35. quia eſt objectum ſenſus externi, ſcil. *viſus*. *Oppoſitum* fulgoris *privativum* eſt *obſcuritas*, vel *caligo*. IIII. 7. *contrarium rubigo vel ærugo*, ſi ſermo de metallorum ſit fulgore. IIII. 6.

XVI. NAUTIS.

NAuta etiam *Denominativum* eſt; I. 10. abſtractum, eſt *peritia rei nauticæ*. Denominatum eſt *homo*. I. 11. eſtq; *Species*. II. 12. *individuum eſt* hic *nauta*. II. 5. num. 2. vel *Palinurus*. Eſt & *differentia communis*, quâ nauta differt ab alio homine, peritiâ rei nauticæ deſtituto. II. 16. & *proprium* hominis in *primo modo*. II. 19. & *accidens ſeparabile*. II. 21. 22. Ergò παρωνύμως prædi-

prædicatur de ſubſtantiâ, v. g. *homine* I. 13. can. 3. Non enim dico: *Homo eſt peritia rei nauticæ*: ſed: *Homo eſt nauta*, i. e. rei nauticæ peritus. Reducitur *Nauta* ad *primam ſpeciem Qual.* quæ eſt *Habitus.* I. 13. can. 2. & III. 26. Nautæ *privativè* opponitur *rei nauticæ prorſus imperitus.* IV. 7. *Contradictorium* eſt *Non-nauta.* IV. 8. *Prior* tempore eſt homo ipsâ rei nauticæ peritiâ. IIII. 12.

XVII. ROGAT.

IStud etiam eſt *Paronymum.* I. 10 abstractum eſt τὸ *rogare*; Denominatum *homo prenſus in Ægæo.* I. 11. Eſt autem τὸ rogare *ſpecies* actionis humanæ, ceu *generis.* II 12. 9. eſt & *differentia communis*, quâ, qui rogat, differt ab eo, qui non. II 15. Si de animali loquamur, *proprium* eſt hominis in *primo modo.* II. 19. & *accidens.* II. 21. *ſeparabile.* §. 22. Et eſt in prædicamento *Actionis.* III. 47, eſt enim actio *voluntaria* ſive moralis. III. 48. diſtinct. 2. cujus oppoſitum *contradictorium* eſt *non-rogare.* IV. 8. Contrarium, *aſpernari*, IV. 6.

XIIX. DIVOS.

DIvus ὁμώνυμον eſt. I. 3. Notat enim vel *Deum*, ut h. l. Nam Divos rogare, Horatio eſt Deos rogare, vel *ſanctum demortuum* à vivis juxta Pontificis Romani decreta religiosè invocandum; vel *hominem Scriptis olim piisſimis celebrem, ac de Eccleſiâ Dei benè meritum*; quo ſenſu dicimus: D. Auguſtinus. D. Lutherus &c. Eſtq; *Paronymum* h. l. cujus abſtractum eſt *Divinitas*: Denominativum verò *Caſtor, Pollux*, aliiq; Dii gentilium ficti. Eſt & *ſpecies* II. 12. cujus *individua* apud gentileis nominantur pænè infinita. Non eſt in aliquo prædicamento, ſi de Deaſtro aliquo gentium Ethnicarum dicatur. Sunt enim idola illa *entia ficta*. III. 2.

XIX. OTIUM.

HOc etiam non eſt ſine *æquivocatione*. Aliquando enim opponitur *labori*, eſtq; Græcis ἀπραγμοσύνη; aliquando notat *tempus, quo nihil agitur rerum ſublimiorum*, quo ſenſu Cic.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0058-1

II. de Orat. ait: *Conſumſit otium ſuum in ſcribendâ hiſtoriâ Phyliſtius Syracuſius.* Aliquando ſignificat *id, quod otio elaboravimus*, quomodo Ovidius libellos ſuos *otio* ſcriptos vocat *otia*, cum canit:

Excutiasq; oculis *otia* noſtra tuis.

Hoc loco deſignat *tranquillitatem quandam & quietem animi*, quam conſequitur ſecuritas & immunitas partim à curis, partim à periculis. *Avarus* enim *mercator*, qui navi ſe credidit, poſteaquam multiplici diſcrimine implicari ſe in patenti mari intelligit, *otium Divos rogat*, h. e. petit, ut poſthac, ubi eluctari datum fuit, Dii mentem tranquillam & αὐτάρκη donent. Eſt itaq; otium iſtud nihil aliud, quàm αὐτάρκεια, ſive animus ſuâ ſorte, quantumvis exiguâ contentus. qui *parvo vivit benè & cui paternum ſplendet in mensâ tenui ſalinum.* v.13.14. Unde eidem otio apud Poëtam v.10. 11. 12. opponuntur *miſeri mentis tumultus,*

 tus,

tus, & *curæ circum tecta volantes*, & verſ. 21. ſeqq. *cura vitioſa, quæ ſcandit æratas naveis; nec turmas equitũ relinquit, ocyor cervis, & agente nimbos ocyor Euro*. Ac verſ. 25.26.27. otium iſtud deſcribitur, quod ſit *lætus in præſens animus, qui, quod ultra eſt, oderit curare, & amara lento riſu temperet*, qualẽ non habent, quibus *leveis* ſive facileis *ſomnos* adimit *timor* de admittendis, & *cupido ſordidus*; h. e. interprete Berſmano, *avaritia* ſive ſordida cupiditas de adquirendis divitiis. verſ. 15. & 16. Porrò otium hocce *accidens* eſt reſpectu hominis, cui tribuitur, & quidem *ſeparabile*. II. 21. 22. Itaq; non niſi *παρωνύμως* de homine prædicatur, I. 13. can. 3. Poteſt & adpellari *differentia communis*, quâ homo differt ab homine. II. 16. Et quia otium iſtud idem eſt, ac *αὐτάρκεια*, quæ virtus egregia, erit in prædicamento *Qualitatis*. III. 24. & quidem in *primâ ſpecie*. §. 26. recipitq; *magis* & *minus*. §. 39. prop. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0062-4

De *oppoſitis* ſupra quædam monuimus. *Diſparata* iſtius otii ſunt aliæ virtutes. IV. *10. 11.* *Poſterius* eſt otium iſtud homine, in quem cadit, cum *tempore*, tum *naturâ*. IV. *11.*

NB.

Eadem ratione ſtudii Logici tironibus licet examinare *ſingula* quoq; ſequentium Stropharum, imò omnium, quos auctores evolvunt, *verba*. Nobis, ne juſto ſimus prolixiores, ſufficiat jam, demonſtraſſe examinis Logici, ſecundum primam mentis operationem inſtituendi, *modum* ac *rationem*, quam hoc fine propoſuimus, ut maturè adſueſiant diſcipuli noſtri ſingula verba adcuratius expendere. De Propoſitionibus enim, quæ ex terminis ſimplicibus; & Syllogiſmis, qui ex Propoſitionibus conflantur, nemo rectè & exactè judicare poterit, niſi qui terminos ſimplices probè ponderaverit. Non verò opus fuerit conſiderationem iſtam ſingulorum verborum in chartam conjicere: ſufficiet,

ſi mente ſaltem iſtiusmodi exercitium ſuſcipias. Hoc modo & acuetur judicium; & præcepta ſolidiùs intelligentur, ac felicius imprimentur memoriæ.

CAPUT II.

EXAMEN INTEGRARUM ENUNCIATIONUM,

quo exercetur

SECUNDA MENTIS OPERATIO,

Juxta part. general. lib II.

PRopoſitio *generalis*, quæ in Strophe *primâ* occurrit, hæc eſt:

Homo in patenti Ægæo prenſus, ſimul ac atra nubes Lunam condidit, neq; certa nautis ſidera fulgent, rogat Divos otium.

Propoſitio iſta eſt *oratio*. §. I. 2. & quidem *enunciativa* §. 6.7. *Subjectum* eſt *homo*. §. II. ſed cum προσδιορισμῷ ſum-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0064-4

ſumtus, ſeu, *homo in patenti Æguo conſtitutus, qui nec Lunam, nec certa nautis ſidera fulgere videt.* Non enim nudè dicitur:

Homo rogat Divos otium.

Sed ita quaſi modificatur Propoſitio:

Homo, quatenus in patenti Ægæo prenſus, animadvertit, nubem atram condidiſſe Lunam, neq; fulgere jam certa nautis ſidera; orat Divos otium.

Unde liquet, eſſe Propoſitionem *exponibilem.* V. 1. & quidem *Reſtrictivam,* V. 8. ac *Specificativam,* V. 12. Particula reſtringens eſt *quatenus,* §. 8. à Poëtâ quidem expreſsè non poſita, ſenſu tamen concipienda. Denotatur autem illâ vel *cauſa,* vel *conditio,* quâ motus homo rogat Divos otium §. 9. Unde rectè juxta cap. IIX. §. 8. can. 5. infertur: *O homo, in mari prehenſus, & fluctibus implicitus ac obrutus, ſimul ac videt ſtellas omneis ex oculis ſubtractas, (niſi extremè inſanus ſit) rogat Deum otium.* Et ab hac univerſali ſeu *ſubalternante,* III. 7. verifi-

catur etiam *particularis* & *ſingularis*, *ſubalternata*; v. g. *Quidam* homo in mari conſtitutus &c. rogat Deum otium. Et: *Jonas* in mari conſtitutus &c. rogat Deum otium. juxta cap. IIX. §. 8. can. 4. Poteſt etiam formari *Hypothetica* ejusdem ſenſus. v. g. *Si homo in patenti Ægæo prehendatur, & intelligat, nubem atram condidiſſe Lunam, neq; fulgere tempore illo nocturno certa nautis ſidera, adeoq; tempeſtatem periculoſisſimam excitari; rogat Divos otium.* Confer cap. VI. §. 3. Et ex Hypotheticâ iſtâ iterum juxta IIX. 8. can. 8. prodit ſimplex illa: *O homo in mari conſtitutus &c. rogat Divos otium*. Quod ſi *copulativam* velis ex eadem materia, hanc habe: *Homo ET in patenti Ægæo prehenditur, ET ex oculis amittit Lunam ac reliqua ſidera, ET rogat Divos otium*. Vide VI. 4 Hanc veram eſſe dicimus, quia partes ejus omnes veræ ſunt. VI. 7. can. 3.

Aſt verò in generali iſtâ propoſitione continentur *potentiâ* plures aliæ, ex quibus illa conflatur, v. g.

I. Qui-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0070-8

I. *Quidam homo eſt prenſus in Ægæo.*

II. *Ægæum eſt patens*, h. e. vaſtum, amplum, diffuſum.

III. Q. *Nubes eſt atra.*

IV. *Nubes atra condit* ſive obvelat *Lunam.*

V. Q. *Sidera nautis ſunt certa*, h. e. certò cognita.

VI. Q. *Sidera non fulgent nautis*. Adde *duas* Strophas ſequenteis, & eliciantur etiam iſtæ:

VII. *Thraces ſunt bello furioſi.*

IIX. *Thraces rogant Divos otium.*

IX. *Medi ſunt pharetrâ decori.*

X. *Medi rogant Divos otium.*

XI. *Otium non eſt venale gemmis aut purpurá.* h. e. non facilè obtingit illis, qui regiis honoribus abundant.

XII. *Otium non eſt venale auro.* h. e. non obtingit facilè divitibus.

XIII. *Gazæ non ſubmovent miſeros mentis tumultus*. h. e.

Divitiæ & opes non conferunt animi tranquillitatem.

XIV. *Divitiæ vel gazæ non ſubmovent curas circumtecta laqueata volanteis.*

XV. Q. *Lictor eſt conſularis* h. e. præcedit conſulem proditurum in publicum.

XVI. *Lictor conſularis* (ſumma dignitas, qualis apud Rom. erat conſularis, cujus ſignum erat LICTOR CONSULARIS conſulem antecedens) *non ſubmovet miſeros mentis tumultus*, h. e. non confert animi tranquillitatem.

XVII. *Lictor conſularis non ſubmovet curas.*

XIIX. Q. *tecta ſunt laqueata.*

XIX. Q. *tumultus eſt miſer.*

XX. Q. *tumultus eſt in mente.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0073-4

XXI. *Q. cura circumvolat tecta laqueata.* h. e. quidam tecta laqueata inhabitantes curarum punguntur ſtimulis, à verâ animi tranquillitate alieniſſimi.

Sequitur jam propoſitionum iſtarum *analyſis*, & uberior contemplatio.

De Propoſitione I.

N*Omen* eſt *homo* I. 3. 4. *verbum* eſt, *eſt prenſus in Ægæo*. I. 5 eſtq́; oratio *enunciativa* I. 6. 7. *Subjectum* eſt *homo* I. 9. 10. 11. *Prædicatum* eſt, *prehenſus in mari Ægæo*. I. 12. *Copula* ponitur h. l. *explicitè* I. 13. Porrò eſt *affirmativa* II. 2. *particularis* III. 4. *Categorica* IV. 2. *tertii adjecti* IV. 1. *abſoluta* §. 3. in *modalem* convertitur hoc modo:

Contingit, hominem quendam prehendi in Ægæo, vel.

Poſſibile eſt, hominem aliquem prehendi in Ægæo. IV. 4.

Abſolutæ illi opponi *contradictoriè* iſta poteſt: *N. homo eſt prehenſus in mari Ægæo*. VII. 2. 3. 4. 5. 7. Et hæc Oppoſitio eſt *vera*. *Apparens* autem eſt, ſi

oppo-

opponatur illi primæ iſta: *Quidam homo non eſt prenſus in mari Ægæo*. Olim vocarunt oppoſitionem *Subcontrariam*. VII. 5. Quod ſi primæ illi propoſitioni Præponas particulã NON, hoc modo: *NON quidam homo eſt prehenſus in mari Ægæo*; redditur æquipollens ſuæ *contradictoriæ*, ſive iſti; *Nullus homo eſt prenſus* &c. VII. 10. & §. 12 verſ. 3. Nam NON ALIQUIS vel NON QUIDAM idem eſt ac NULLUS. Sin eamdem particulam ſubjecto Postponas, hoc modo: *Q. homo NON eſt prenſus in Ægæo*; tum prodibit *Subcontraria*. Si denique & Præponas & Postponas particulam NON, hoc modo: *NON quidam homo NON eſt prenſus in Ægæo*: jam æquipollet *ſubalternanti*, quæ eſt: *O homo eſt prenſus in Ægæo*; quæ falſa, quia ejus contradictoria, quæ occurrit apud Poëtam, eſt vera. VII. 10. & 12. v. 3. & §. 13. can. 1. Quid autem ſit *ſubalternans*, vide cap. III. 7. Tandem ſi *convertenda* ſit prima illa propoſitio,

non

non poteſt converti niſi *ſimpliciter*, hoc modo: *Q. prenſus in Ægæo eſt homo.* vide IIX. 1.2.3.

De Propoſitione II.

SUbjectum eſt *Ægæum*, Prædicatum *Patens*, Copula iterum ponitur *explicitè*. I.7.9.11.12.13. utrumque extremum eſt terminus *finitus* I. 14. Tale autem eſt prædicatum *patens*, aliàs ambiguum, quale permittitur eſſe à ſubjecto. Si enim *janua* vel *conclave* dicatur patens; tum aliter exponendum eſt idem vocabulum. Confer I. 15. can. 2. Deinde propoſitio iſta eſt *Affirmativa*. II. 2. Poſito autem Ægæum eſſe patens, non negatur eſſe falſum, II. 5. can. 2. Porrò eſt *Singularis*. III. 6. & *tertii adjecti*, atque *Categorica*. IV. 1. 2. *abſoluta* §. 3. *Modalis tamen fit, ſi apponas τὸ contingit.* hoc modo: *Contingit*, Ægæum eſſe patens. Si enim Deo ſic diſponente paulatim decreſceret maris iſtius amplitudo, poſſet tandem etiam *anguſtum* dici. Itaque dixi, contingit. Si verò *neceſſariò*

pa-

patens eſſet, *immutabiliter* tale eſſet: quod non facile ſtatuendum. Etſi autem *anguſtum* illud fieri *poſſit*, id ſtatuendum tamen ilicet non eſt. IV.6. can. 2. Si dicas: *Ægæum eſt tantùm patens*, (non anguſtum) erit propoſitio Excluſiva. V.3. & quidem excluſi *prædicati*. V.4.6. Nullam oppoſitionis ſpeciem admittit, niſi *contradictionem*, quæ orietur, ſi præponas particulam NON. VII.8. v. g. *Non Ægæum eſt patens* h. e. Ægæum non eſt patens.

De Propoſitione III.

HÆC eodem modo examinatur, quo *primam* examinavimus.

De Propoſitione IV.

SUbjectum eſt *Nubes atra*, eſtq; terminus *complexus* voce & ſignificatione ſimul. Prædicatum eſt *condit Lunam*. *Copula* ponitur *implicitè* latetque in verbo adjectivo *condit*. I.11.12. 13. τὸ *condit* etiam pro conditione ſubjecti exponendum eſt. I.15. can. 2. ambiguitate enim laborat, uti ſupra monuimus, Porrò eſt *Affirmativa*. II.2.

Inde-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0081-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0082-4

Indefinita. III. 5. æquipollens *particulari*. Non enim omnis nubes atra condit lunam, ſed ea tantùm, quæ inter Lunam & hominis oculum ponitur. Eſt & *Categorica*. IV. 1. 2. *abſoluta* §. 3. *Modalis* erit, ſi ita efferas: *Neceſſe eſt, nubem atram, inter corpus Lunæ, & oculum intuentis poſitam, condere Lunam.* vide IV. 4. *Reſtrictiva*, V. 8. & quidem *Specificativa* fiet, ſi ita informes: *Nubes atra, quatenus inter oculum videntis & corpus Lunare ponitur, condit Lunam*. V. 12. Et notatur per τὸ *quatenus* h. l. *conditio* aliqua. V. 9. Inde fit iſta: O. *nubes atra inter oculum videntis & corpus Lunæ poſita, condit Lunam*. Vide IIX. 8. can. 5. Cumque iſta, quæ apud Poëtam occurrit, videatur æquipollete *Particulari*, eodem modo convertenda erit, quo converſa fuit *prima*.

De Propoſitione V.

HÆc etiam examinanda eſt, uti *prima*.

De Propoſitione IV.

EXaminatur iſta quoque ut *prima*, exce-

exceptis capitibus de *Qualitate* & *converſione* Propoſitionum. Eſt enim *Negativa*. II. 3. particula *Non* juſto eſt loco poſita. §. 5. can. 3. *Infinita* erit, ſi ita efferatur: Q. ſidera ſunt *non-fulgentia* nautis. Et hæc à priore illâ Negativâ probè eſt diſtinguenda. I. 14. II 5 can. 5. Convertitur per *Contrapoſitionem* prima illa juxta IIX. 5. hoc modo: *Quædam non-fulgentia nautis non ſunt non ſidera.* Hoc eſt, id, quod aliquando non fulget nautis, non ſtatim negandum eſt, eſſe ſidus. Sæpe enim contingit, ut ſidera nautis non fulgeant, & tamen ideò non deſinant eſſe ſidera.

De Propoſitionibus VII. IIX. IX. X.

IStæ ſunt Indefinitæ, examinandæ eâ ratione, uti quarta. Nam ſunt & iſtæ de materiâ contingente, ac proin particularibus æquipollent. Etſi enim BELLO FURIOSUM ESSE, quod ſeptimæ prædicatum eſt, vulgò apud antiquos OMNIBUS tribuitur Thracibus, ut videa-

deatur eſſe PROPRIUM SECUNDI MODI, lib. I. cap. II. §. 19. reverà tamen ſtatui tale quid, ac probari non poteſt; quamquam non negamus, PLERISq; ineſſe illum furorem. Ita Germanis tribui antiquitùs ANIMOSITAS, CANDOR & FIDELITAS conſuevit. Sed ſi omnibus Germanis ineſſe putes virtutes iſtas, aberrabis à verò longiſſimè. Idem judicium eſto de IX. Neque ſ enim OMNES Medi pharetrâ ſunt decori: De IIX. ac X. vix dubitaturum fore ullum autumo, quin ſint particulares contingenres, quæ converttuntur SIMPLICITER, IIX. §. 3. quarum contradictoriæ ſunt. N THRACES ROGANT OTIUM. N. MEDI ROGANT OTIUM. Subcontrariæ verò ſunt: QUIDAM THRACES NON ROGANT OTIUM, Q. MEDI NON ROGANT OTIUM. Vide. VII. 5. & 7.

De Propoſ. XI. ac XII.

SEnſus eſt in propp. iſtis, neque DIGNITATES, quales ſunt Regum & Principum, quibus PURPURA competit & GEMMÆ, neque DIVITIAS, quæ deſi-

deſignantur Auro, præſtare hominibus αὐτάρκειαν & otium poſſe. Sunt autem ambæ Particulares III. 4. Etſi enim ſignum particulare præfixum non habent, ac Indefinitæ eatenus ſunt. III. 5. particulares tamen ideò appellavi, quod æquipolleant particularibus. Non enim de omni otio dicitur, quod non ſit venale gemmis. Cum divites quosdam, immò & principes nonnullos otio, quatenus iſtud ἀπραγμοσύνην notat, diffluere, teſtetur experientia. Igitur de Quodam Saltem otio, quod eſt q. ἀμεριμνία quædam, & mentis tranquillitas, heic agitur. Convertendæ igitur ſunt per contrapoſitionem, hoc modo: Q. otium non eſt venale gemmis. Ergò: Quoddam non-venale gemmis, non eſt non-otium. Vide IIX. 5.

De Propoſitione XIII. ac XIV.

Gazas exponimus h. l. Divitias & quaslibet quidem, etiam hominis privati, ac non ſolùm toti civitati vel regno communeis. Notat enim

nim Servius in I. Æneid. Perſis gazam dici Opes, Supellectilem, & generaliter, Quidquid Possidemus. Ratio interpretationis iſtius eſt, quod Poëta paulò ante ſub Gemmis & Purpura videatur dignitatem intelligere, ſub Auro verò divitias, etiã privatorum; atque negare, animi tranquillitatem utroque poſſe comparari: idq́ue probet jam hoc ſtrophe tertiâ, quòd videamus, neque Divitias illas, neque Consularis ſive ſummæ dignitatis titulos & honores, quorum ſignum Lictor Consularis erat, curas arcere à mente poſſe. Aliàs probè novimus, per gazam aliquando, præprimis apud Pomp. Melam Perſis Ærarium intelligi; & Curtio Pecuniam Regiam idem eſſe, quod Perſis eſt gaza. lib. 3. Deinde verba: Non Submovent Miseros Mentis Tumultus, non ſine causâ exponimus: Non Conferunt Animi Tranquillitatem. *Quid* enim eſt animi tranquillitas aliud, quàm miſerorum mentis tumul-

tumultuum ſubmotio? Et quid ſunt miſeri mentis tumultus, niſi curarum ac ſolicitudinum aculi? qui non ſinunt tranquillari mentem aut ſedari, ſed qui tumultus perpetuò exſuſcitant. Tumultus excitantur ab inferioribus contra ſuperiores: ita appetitus contra rationem, reginam omnium facultatum humanarum, tumultuatur. Conſimilem in modum caro non infrequenter tumultuatur adverſus Spiritum. Unde Davides etiam Pſal. XLII. §. 6. ita adloquitur animam ſuam: מַה־תֶּהֱמִי עָלַי נַפְשִׁי h.e. quare tumultuari ſoles contra me anima mea? Vide Lex. Buxtorf. Förſt. & præprimis Avenarii in rad. הכה. Eſt autem propoſitio iſta XIII. ac ſequens XIV. Negativa. II. 3. quia particula NON afficit copulam. II. 5. can 3. Deinde eſt quidem Indefinita. III 5. æquipollet tamen Universali. Nullæ enim gazæ, quantumvis maxumæ, curarum ſtimulos, vel, ut Poëta loqui amat, miſeros mentis tumultus, vel curas circum tecta volanteis arcere ex ſe

&

& per ſe poſſunt. Quia curas adſiduè pariunt, & angores, ſive ſint adquirendæ, ſive cuſtodiendæ ac tuendæ. Eccleſiaſtæ V. 9. 10. Proverb. XXIIX. 20. Fiat a. diſtributio per ſignum univerſale NULLÆ, non in divitias SORTIS, MENTIS & CORPORIS; ſed in divitias MAGNAS, MEDIOCREIS & PARVAS huj9, iſtius, illius hominis. III. 3. Porrò ambæ ſunt ABSOLUTÆ ſcil. XIII. ac XIV. cap. IV. 3. Fieri tamen inde Modales poſſunt: v. g. IMPOSSIBILE eſt, divitias fortunæ vel ſortis dare animæ noſtræ tranquillitatem plenam ac ſolidam. Probè enim dicitur: SUBMOVET, h. e. prorsùs tollit, & loco movet. Etſi igitur quidam homines tranquillitatem animi ſibi videntur obtinuiſſe in divitijs illis; reverà tamen non obtinuerunt. Non n. SUBMOTI ſunt curarum ſtimuli, ſed occultati ſaltem paulisper. Fieri etiam RESTRICTIVÆ inde poſſunt. v. g. Divitiæ, quatenus tales, h. e. res inanimatæ & caducæ ſunt; animo tranquillitatem conferre non poſſunt V. 8. ubi per particulam reſtringen-

gentem notatur Causa. V. 9. Unde rectè hoc etiam colligitur juxta IIX. 8. can. 5 N. res inanimata & caduca conferre animo tranquillitatem poteſt. Quod ſi ex propoſitione XV. Lictoris vocem adſumas, fiet Comparativa iſta: Non magis lictor conſularis, quam gazæ, ſubmovet miſeros mentis tumultus. V. 13. Contrariæ ſunt:

O. Divitiæ ſubmovent mentis tumultus.

N. Divitiæ ſubmovent mentis tumultus.

Contradictoriæ ſunt.

N. Divitiæ ſubmovent mentis tumultus.

Q. Divitiæ ſubmovent mentis tumultus.

Confer cap. VII. 6. & 7. Si Præponatur huic: N. Divitiæ Submovent Mentis Tumultus; particula NON; hoc modo: NON Nullæ divitiæ ſubmovent mentis tumultus; æquipollet ſuæ contradictoriæ, quam paulò antè dedimus. Sin Postponas eamdem particulam

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0098-8

ticulam ſubjecto, hoc modo: N. divitiæ NON ſubmovent mentis tumultus; æquipollet ſuæ Contrariæ, jam pridem datæ. VII. 6. 7. 10. 11. 12. Convertuntur iſtiusmodi univerſales negativæ SIMPLICITER. IIX. 3. v. g.

N. divitiæ ſubmovent mentis tumultus.

E. N. quod ſubmovet mentis tumultus, eſt gaza vel divitiæ.

De Propoſitione XV.

SUbjectum eſt *lictor*, I. 11. vocabulum ſignificationis notiſſimæ, ſed incertæ originis. Gellius enim à verbo LIGARE deducit, eò, quòd Magiſtratus populi Rom. priusquā verberari quempiam juſſiſſet, pedes & manus à miniſtris jubebat *ligari*. Aſt Tiro Tull. Ciceronis libertus vel à LINO, vel à LICIO formandum vocabulum cenſet. Prædicatum eſt CONSULARIS l. 12. quo DIFFERENTIA quædam lictorum videtur innui. Lictores enim vel CONSULIS erant, vel PROCONSULIS, vel PRÆSIDIS,

vel Prætoris. Sed DUODENI Conſulis erant, aliorum SENI tantùm. Conſularis autem lictor eſt, qui Conſuli, ut ipſum antecedat, additur. Indefinita iſta III. 5. eſt, ſi ſignum ſubtrahatur. Quomodo examinanda amplius ſit, patet ex intuitu propoſitionis I. ac III.

De Propoſ. XVI. ac XVII.

EXaminantur iſtæ ut XIII. ac XIV Nota autem per lictorem Conſularem intelligi DIGNITATEM CONSULAREM, cujus SIGNUM erant lictores præcedentes.

De Propoſitione XIIX.

EXpenditur hæc ut I. ac III. Per TECTA, (quod Subjectum eſt) intelligitur h. l. non domus integra, ſed PARS domus SUPERIOR, quod ex Prædicato fit evidens. Nemo enim totam domum propriè dixerit LAQUEATAM. Virg. IIX. Æneid. SUMMI LAQUEARIA TECTI dixit, quod Horatius TECTA LAQUEATA vocat. Etſi enim Livius decad,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0102-7

cad. V. lib. 1. laqueatum auro templum dixit; id tamen plerique συνεκδοχικῶς exponunt, ac tectum tantùm aureis laquearibus ornatum fuiſſe adſerunt.

De Propoſ. XIX. XX. & XXI.

IDem iſtæ examen admittunt, quod admiſerunt I. ac III. Iſtud ſaltem nota, tumultum in mente excitatum (Propoſ. XIX.) μετωνυμικῶς vocari MISERUM, quod videlicet MISEROS FACIAT homines, in quorum viget mentibus. Et propoſitione ultimâ per Metaphoram partim, partim per προσωποποιίαν de CURA dicitur, quod CIRCUMVOLET TECTA LAQVEATA, h.e. homines auguſtiſſimæ dignitatis, ac domos magnificentisſimas inhabitanteis, lancinet & excruciet, continuò ipſis præſentiſſima. Ac tantum etiam de examine analytico integrarum enunciationum. Appendicis loco breviſſimè Propoſitiones iſtas ex locis Topicis examinaturi ſumus.

I. Propoſitio prædicatum deſumit ex Loc. XIII. ADIUNCTUM enim hominis eſt, ſed COMMUNE prehendi in mari. Videtur etiam ex loco XV. illuſtrari poſſe illa Propoſitio. Nam latet in voce PREHENDI aliquid ſimilitudinis. Ut igitur homo à lictoribus PREHENSUS ἐν ἀπορίᾳ quadam conſtituitur, ut elabi facilè non poſſit: ita nautæ in mari frequenter, ubi prehenſi à fluctibus ſunt ab omni latere, in eas rediguntur anguſtias, ut elabi nullatenus queant.

II. Etiam ex loco XIII. mutuatur prædicatum. Deſcribitur enim Ægæum ab ADIUNCTO COMMUNI.

III. Ex eodem fonte depromit prædicatum. Nam ADIUNCTUM COMMUNE nubis eſt ATROR.

IIII. Eodem referenda eſt; habet tamen æquè ac prima nonnihil ſimilitudinis ex loco XV. Ut enim quod conditur & obvelatur, ex oculis ſubducitur: ita Luna atrâ nube condita oculis nautarum ſubducitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0106-9

V. VI. VII. IIX. IX. X. XV. XIIX. XIX. etiam prædicati loco ADIUNCTUM habent ex loc. XII.

XI. ac XII. negantes, otium ſeu ἀυτάρκειαν venalem eſſe gemmis, purpurâ & auro, adſerunt ſimul implicitè, otium illud longè eſſe præſtantius ac nobilius gemmis, purpurâ, auro, omnibusq́; dignitatibus & divitiis. Itaque partim locum XVI. §. 3. redolent; partim Loc. X. Negatur enim CAUSAM EFFICIENTEM otii eſſe gemmas, purpuram & aurum. Quid enim aliud eſt: otium non eſt venale gemmis, purpurâ & auro; quàm: gemmæ, purpura & aurum non efficiunt, nec conferunt otium? Sed & ADIUNCTUM eſt præſtantia ac nobilitas præ gemmis, purpurâ & auro, quod commune otium habet, cum aliis quibusdam donis ac bonis divinitus homini conceſſis, qualia ſunt virtutes cum intellectus tum voluntatis, nec non dona ſpiritualia in regeneratione & renovatione nobis data. Hæc enim æquè

ac otium, de quo Poëta loquitur, non ſunt venalia gemmis, purpurâ & auro, ſed iſtis longè præſtantiora. Et eatenus attendi vel applicari etiam poteſt locus XIII.

XIII. XIV. XVI. XVII. Prædicatum eſt ADJUNCTUM PROPRIUM otii vel ἀυταρκείας, ſcil. SUBMOVERE MISEROS MENTIS TUMULTUS ET CURAS. Et hoc adjunctum proprium negatur de dignitatibus ac divitiis, per lictorem conſularem & gazam ſignificatis. Unde conſequitur juxta Loc. XIII. §. 2. can. 5. otium illud non eſſe quærendum in gazis, divitiis ac dignitatibus.

XX & XXI. Prædicatum connotat ſubjectum inhæſionis ſolicitudinis & inquietudinis curarumq́; , quæ opponuntur otio. Sunt n. illa in mente humanâ, & illorũ quidem etiam, qui tecta inhabitant laqueata. Quo fit, ut & iſtæ propoſitiones quodammodò ad loc. XIII. pertineant.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0110-1

CAPUT III.

EXAMEN ARGUMENTATIONUM,

quo exercetur

TERTIA MENTIS OPERATIO

Juxta part gener. lib. III.

ANte omnia quærenda eſt concluſio principalis, ſive thema & Propoſitio Poëtæ, quam deinceps PROBAT & AMPLIFICAT. Hæc autem concluſio explicitè non ponitur, quod Poëtis in more eſt poſitum; ex mente tamen Poëtæ, ac diligenter perponderatâ ode integrâ hæc videtur eſſe.

Otium, ſeu tranquillitas animi, quam Græci vulgò αὐτάρκειαν vocant, ſummè eſt amanda & commendanda.

Huc certè tendunt omnia, quæ in hac ode viſuntur.

Terminus itaq; MINOR eſt αὐτάρ-

κεια, quam Poëtæ vocabulo poſthac Otium vocabimus. Eſt enim ſubjectum concluſionis. I. 5. Major eſt, ſummè amandum & commendandum eſſe, quod eſt prædicatum concluſionis. I. 4. Medius eſt, quia eſt donum divinum. I. 6. Inde fit Syllogiſmus:

O. donum divinum eſt ſummè amandum.

Otium eſt donum divinum.

E. Otium eſt ſummè amandum.

Eſt hic Syllogiſmus in primâ figurâ II. 3. 4. 7.

Major per ſe patet: Cum Deus non det, niſi bonum: Bonum autem ſimul ac fuit agnitum, ametur; adeò ut amari ſit ADIUNCTUM PROPRIUM boni cogniti, nihilq; ametur, niſi quatenus bonum eſſe creditur. Vide ex Loc. Top. Loc. XIII. can. 1.

Minor probatur, quia otium precibus à Deo eſt impetrandum. Hæc ratio talem ſuppeditat Syllogiſmum:

Quid-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0112-2

Quidquid precibus à Deo impetrandum eſt, illud eſt donum divinum.

Otium eſt precibus à Deo impetrandum.

E. Otium eſt donum divinum.

Major ſuâ radiat luce, quia donorum divinorum eſt impetrari à Deo precibus.

Minorem Poëta probat dupliciter.

PRIMUM Exemplo IIX. 6. eoq́; triplici.

(α) hominis ſcil. maris difficultatibus impliciti, (β) Thracum. (γ) Medorum. Inde fit argumentatio imperfecta. IIX 1. 6.

(α) Homo in maris periculo conſtitutus precibus cenſet impetrandum à Deo otium.

Ergò & nos inquieto ac vaſto curarum ac ſolicitudinum Oceano impliciti precibus à Deo impetrandum otium cenſeamus.

Antecedens probatur. Niſi enim precibus impetrandum à Deo cenſe-

ret otium, nunquam Actu Divos otium rogaret. Unde iſte emergit Syllogiſmus:

Quicunq; actu Divos rogat otium, ille cenſet, precibus à Divis impetrandum eſſe otium.

Homo maris difficultatibus implicitus actu Divos rogat otium

E. Homo maris difficultatibus implicitus cenſet, precibus impetrandum eſſe à Deo otium.

Major probatur. quia actu rogare Divos otium conſequens eſt, & cenſere otium precibus à Deo eſſe impetrandum, antecedens. De quo autem affirmatur conſequens, de eo etiam affirmatur antecedens. Loc. XIIII. §. 3 can. 3.

Minor occurrit apud Poëtam.

(β) Thraces, quamquam bello furioſi, à Deo tamen precibus impetrandum otium cenſent.

Ergò & nos l cet naturâ ſimus ad contentiones & curas proni, à Deo tamen precibus impetrandũ eſſe otium cenſeamus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0117-9

Antecedens probatur eodem modo, quo probatum fuit Antecedens præcedentis exempli.

(γ) Medi, quanquam pharetrâ decori, ac bellicis tumultibus aptisſimi, tamen precibus à Deo impetrandum cenſent otium.

Ergò & nos ſi vel maxumè ducamur belli gloriâ, ad illud non inepti, otium tamen precibus â Deo impetrandum cenſeamus

Antecedentis probandi heic iterum eadem eſt ratio.

Poteſt etiam citra abſurditatem dici, Poëtam argumentari per *Inductionem*, IX 5. hunc in modum:

Homo maris difficultatibus conſtitutus Divos rogat otium: Thraces Divos rogant otium, Medi Divos rogant otium. Nec poteſt dari ulla gens tam ſæva ac barbara, quin Divos roget otium.

Ergò omnis homo precibus à Deo impetrandum cenſet otium.

Etſi enim formula iſta; Nec poteſt

dari ulla gens &c. qualem requirit IIX. 9. can. 4. diſertè & explicitè non ponatur: videtur tamen Poëta illam ſubinnuiſſe mentione Thracum & Medorum, populorum cætera non adeò religioſorum, otium tamen precibus à Deo rogantium. Idcircò & hunc in modum per Syllogiſmum hypotheticum VII. 6. 7. licebit argumentari.

Si homines feroces atque barbari, adeoq; extra omnem ferè mentis cultum poſiti, ac nihil niſi opes & ſanguinem ſitientes, rogandum à Deo otium cenſent: ſequitur, id magis facturos eſſe homines manſuetos, & mentem literarum culturâ politisſimos, quales videri volebant Romani.

Sed verum eſt prius. Ergò & poſterius.

Pro majoris probatione, vide Loc. XVI. §. 4. can. 4.

Aſſumtum Poëta habet.

Atq; hactenus probatum fuit exemplo, otium precibus à Deo eſſe impetrandum.

DEINCEPS Poëta idem probat rationum momento: dum quaſi ita argumentatur:

Quidquid nec divitiis acquiri poteſt, neque honoribus, illud precibus à Deo eſt impetrandum.

Otium neq; divitiis acquiri poteſt, neq; honoribus.

E Otium precibus à Deo eſt impetrandum.

Major probatur. Quia Poëta mentione divitiarum ac dignitatum ſive honorum duos illos fortiſſimos arietes, quibus cedere homines arbitrantur univerſa, viribus humanis ſubjecta exprimere conatur. Inde ſequitur:

Quidquid non poteſt acquiri mediis illis, quibus homines ea, quæ humanas vires non exſuperant, acquiri poſſe arbitrantur, ſcil. opibus ac dignitatibus: illud inter dona θεόσδοτα numerandum, & impetrandum eſt precibus.

Otium non poteſt acquiri mediis illis &c.

Ergò Otium impetrandum eſt precibus.

Minor habetur apud Poëtam verſ. 7. & 8. & probari poteſt duobus ſequentibus Syllogiſmis.

I. Quicquid non ſubmovet miſeros mentis tumultus & curas, eo acquiri otium non poteſt.

Gazæ (h.e. divitiæ) non ſubmovent miſeros mentis tumultus & curas.

Ergò gazis ſeu divitiis acquiri otium non poteſt.

Major probatur. quia otium iſtud, de quo Poëta loquitur, neque concipi poteſt ſine remotione tumultuum mentis, & curarum: cum otium illud definiatur quodammodo per curarum iſtiusmodi abſentiam. Confer Loc. V. can. 2. Si quis ſtatuat remotionem vel abſentiam tumultuum mentis eſſe antecedens, otium verô ipſum conſequens: ille adhibere poterit Loc. XIV. § 5. can. 1.

Minorem probat experientia, quæ teſtatur, quò quis eſt opulentior, hoc magis vexari curis. Etenim

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Et quam ſe dimacerant divites, ut retineant non ſolum, ſed augeant etiam divitias? Obiter nota, non impingere, Syllogiſmi iſtius minorem propoſitionem in lib. III. cap. II. § 7. ſed eſſe affirmativam infiniti prædicati. Vide part. gener. lib. II. cap. II. §. 5. can. 4.

Quidquid non ſubmovet miſeros mentis tumultus & curas, eo acquiri otium non poteſt.

Honores, (etiamſi ſummi fuerint, per lictorem conſularem hoc loco, ceu ſignum, ſignificati) non ſubmovent miſeros mentis tumult⁹ & curas.

E. Honoribus etiam acquiri non poteſt.

Majorem paulò ante probavimus. Minoris veritatem itidem confirmat experientia. Quis n. crebrius mentis ſolicitudines ſentit, ac tumultuantes curas, quàm qui in dignitatibus conſtituti ſunt, & aucti præ cæteris honore?

NB. Syllogiſmi iſti, qui producti fuere, præter unum, ſunt *Categorici*, & in primâ figurâ elaborati, ac proinde conſequentiæ evidentiſſimæ. II. 3. unde juxta *III*. 1. *2*. *3*. 4. examinandi,

Syllogiſmus *hypotheticus* paulò antè formatus in categoricum mutatur, juxta V*II*. 7. hoc modo:

Quod gentes feroces ac barbaræ, ſolo naturæ ductu rectè rogant Deum, id cultiores, diſciplinæ acceſſu magis rogant Deum.

Atqui gentes feroces ac barbaræ ſolo naturæ ductu rectè rogant Deum.

E. gentes cultiores, diſciplinæ acceſſu magis rogant Deum otium.

Minor & concluſio etiam majoris evidentiæ gratiâ ita poteſt formari:

Atqui otium eſt id, quod gentes feroces. &c.

E. etiam eſt id, quod gentes cultiores &c.

Ultimus Syllogiſmus antè datus in ſecunda figurâ ita poterit elaborari:

N.quod

N. quod ex ſe conferunt honores & officiorum dignitates, ſubmovet miſeros mentis tumultus.

Otium ſubmovet miſeros mentis tumultus.

E Otium non eſt id, quod conferunt honores,

Syllogiſmus eſt in Ceſare. *II.* 8. 9. 10. Reducitur ad primæ figuræ modum Celarent, juxta *IV.* § 3. & ſeqq.

N. quod ſubmovet miſeros mentis tumultus, eſt illud, quod conferunt honores.

Otium eſt id, quod ſubmovet miſeros mentis tumultus.

E. Otium non eſt id, quod conferunt vani honores.

Si disjunctivum habere ex Poëtæ materiâ cupias, ita informare poteris:

Otium aut per divitias, honores, aliaq; talia, aut per preces ad Deum fuſas naciſcimur.

Sed non per divitias, honores, aliaque talia.

E. Per preces ad Deum fuſas. Vide V*II.* 9.

Sub

Sub enthymematis formâ eamdem materiam ita propones:

Otium non contingit nobis per divitias, honores, aliaq́; talia.

E. Otium contingit nobis per preces ad Deum fuſas. Vide IIX 2.

Et quia in antecedente non apparet prædicatum concluſionis, patet, deeſſe Propoſitionem majorem IIX.4.

SEQUITUR SPECIMEN GENESEOS, UNDE RATIO PATET, QUA UTI PRÆCEPTIS LOGICIS POSSIMUS, SI QUANDO DISSERERE DE RE ALIQUA VELIMUS.

CAPUT IIII.

RATIO COMMENDANDI

Otium ſeu αὐτάρκειαν ex doctrinâ de

PRÆDICABILIBUS.

I. A genere, quod eſt

VIRTUS.

Virtus eſt per ſe ipſa laudabilis, & ſine quâ nihil laudari poreſt, ait Cice-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0132-3

Cicero, (2. de Orat.) nihilq́;, eodem arbitro, eſt virtute formoſius, nihil amabilius. (1. de nat. Deor.) Cum conſtet igitur, otium ſeu αὐτάρκειαν in virtutum choro eſſe numerandam. Quidni omni laude dignisſimam cenſeamus?

II. A ſpeciebus αὐταρκείας.

Dignisſimus laude animus eſt, qui viribus, quantumvis exiguis, contentus majora & ampliora non molitur.

Laudem meretur & commendationem, quisquis opibus, quas habet, contentus vivit, alienus ab avaritiâ & cupiditate. Nec exigua oportet eſſe præconia mentis modeſtæ, & quæ tranquillè atq; citra ambitionem, honoribus, qui exhibentur, frui novit.

Nemo proinde tam eſt vecors, quin intelligat, αὐτάρκειαν, quæ q. in ſummam colligit illa univerſa, exquiſitis dignam eſſe laudibus.

III. A differentia.

Cumq́; omnes fateantur, vitupe-

randum eſſe hominem ambitioſum, avarum, curioſum; patet commendari ſatis non poſſe ἀυταρκειαν, quæ ſola facit, ut differamus ab ambitioſis, avaris & curioſis, & conſtituit una cum cæteris virtutibus virum verè prudentem.

IV. A Proprio.

POrrò, quia hæc virtus Dei ac beatorũ Angelorum quaſi propria eſt; nobis verò convenit, operam dare, ut Deo & Angelis fiamus quam ſimillimi, quod fit ἀυταρκείας ſtudio & exercitio: liquet, ejus tantam eſſe dignitatem & nobilitatem, quæ omnium propè laudes ſuperare videatur.

V. Ab accidente.

TAndem, quò rariùs accidit hæc virtus homini; vix enim milleſimus quiſque eam nanciſcitur; hoc habeamus precioſiorem, magiſque ex colamus. Non enim innaſcitur nobis, ſed acquiritur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0138-5

CAPUT V.

RATIO DISCURRENDI De Rebus Ex PRÆDICAMENTIS.

QUod ſi diſcurrere velis ac diſſerere de rebus juxta doctrinam *Prædicamentorum*, diſpiciendum eſt ante omnia, an res vel thema tibi datum ſit *Subſtantia*, an verò *accidens*?

Si *Subſtantia* ſit, potes illud thema juxta Subſtantiarum differentias examinare, v. g. utrum ſit ſubſtantia materialis, an immaterialis? Si materialis ſit, ſive corpus, disquires, utrum ſit ſimplex, an mixtum? atq; ita porrò. Deinceps de Subſtantiæ accidentibus variis, propriis nempe & communibus, diſſerere poteris ex accidentium novem prædicamentis.

Sin accidens fuerit thema tuum, ante omnia natura ejus ex Prædicamento illo, ad quod primò pertinet, explicanda venit. Ibi enim invenies

genus

genus in lineâ vel ſerie rectâ; differentiam verò in latere. Deinceps ex Prædicamento ſubſtantiæ poteris diſcurrere de accidentis illius ſubjecto cum proprio, tum communi. Et porrò, quia accidentibus quoque alia accidunt, illa ex reliquis accidentium prædicamentis depromi poſſunt.

Thema itaque eſto jam *Otium*, ſeu mentis tranquillitas, ſive uno verbo, ἀυτάρκεια. Hæc, uti ſuprà
Qua- monuimus *Habitus* eſt, ideoque
litas. crebris exercitiis comparatur, & reddit ſubjectum ſuum aptum ad operationes juxta naturam ſuam facilè & expeditè præſtandas. (III. 26.) Differentia eſt, quod ſit habitus practicus, non theoreticus. (III, 31.) Cumque ſit habitus, non eſt potentia naturalis omnibus per naturam innata. III. 32. neque patibilis qualitas ſenſui externo directè ac per ſe obvia, neque affectus aliquis humanus

(III.35.)aut paſſio (III.36.)m ltò minus forma vel figura, quæ omnia ab otii iſtius naturâ ſunt aliena. Subjectum, cui inhæret Sub-
otium iſtud, eſt *homo*. Cumque ſtan-
compoſitus ſit homo ex corpore tia,
& animâ, ſciendum hanc virtutem *non* inhærere *corpori*, ſed *animæ*, & nihilominus denominare *totum* hominem. Aliàs *αὐταρκεια* etiam reperitur in Beatis Spiritibus ſive Angelis, ſeu ſubſtantiis ſpiritualibus vel immaterialibus. (III.9.) Deus autem etſi ſummè ſit *αὐτάρκης*, vel, ut alii loquuntur, *αὐταρκέστατος*, non tamen *ſubjectum* dici *αὐταρκείας* poteſt, quandoquidem hæc ipſi non ineſt accidentaliter, quippe qui per eſſentiam eſt *αὐτάρκης*. Porrò *Quantitatem molis* non Quā-
admittit hoc otium, quippe quod titas.
neque *longum* dixeris, neque *latum*, neque *craſſum* aut profundum: quantitatem autem virtu-

tis (III. 13.) non reſpuit: nam ſi in gradu adſit intenſo, *magna* vel *maxuma* vocari poteſt αὐτάρκεια; ſin in gradu adſit mediocri vel tenui, *parva* quoque, & in rudimentis adhuc conſtituta appellatur. Multitudinem ſeu *Numerum* (III. 20.) non averſatur ſimpliciter. Multiplicatur enim in diverſis ſubjectis, & ſuos admittit gradus diverſos, quorum unus ſuccedit poſt alterum, donec ἀκμὴν adſecuta virtus fuerit. Et quia *Qualitas* eſt, contrarietatem habet, (III. 39.) ſcilicet ſolicitudinem, curam nimiam, & inquietudinem, quam elegantiſſimè Poëta deſcribit, verſ. 10. 11. 21. 22. 23. 24. Unde ſequitur, in uno eodemque ſubjecto eſſe hæc duo *ſimul* non poſſe. (IIII. 6. 13.) Deinde recipit magis & minus, h. e. intendi poteſt ac remitti, (III. 39.) Et facit

Qualitas.

ut

ut homo ἀὐτάρκης prorſus ſit diſſimilis *nimiùm ſolicito.* (ibid.) *Relationem* (non tamen prædicamentalem, vel ſecundum eſſe, ſed transſcendentalem & ſecundum dici) habet hoc otium partim ad oppoſitum ſive contrarium, de quo jam diximus, partim ad ſubjectum ſuum, cujus adjunctum eſt. *Relatio.*

Porrò *actio* τῆς ἀυταρκείας eſt, præſentia, vel exigua, vel mediocria, boni conſulere, iis contentum eſſe, iis lætari, neque majora & ampliora expetere, illisque benè uti (III. 47.) *Paſſio* verò eſt, invidiam aliorum patienter tolerare, fortunam proſperiorem aliorum æquo pati animo, ad gratias Deo pro præſentibus agendas incitari (III. 50.) Et hæ paſſiones ſunt perfectivæ (III. 51.) quia perficiunt magis ac magis animum. Si quæras, *quando* ſectanda ſit ἀυτάρκεια, ſcito, eam *Actio* *Paſſio* *Quando.*

omni ætate, potiſſimùm verò ætate virili ſectandam eſſe & colendam, quandoquidem in ætate puerili & juvenili vix intelligitur, quanta ſit illius virtutis præſtantia ac dignitas; in ætate verò decrepitâ infirmitas humana nimis multa requirit, quæ non cuivis indulget Deus (III. 53.) Culta etiam *olim* αὐτάρκεια fuit, colitur *etiamnum*, & *poſthac* quoque coletur à nonnullis (III. 54.) Locum habet, & exerceri poteſt

Vbi. *ubivis* terrarum, id eſt in Germaniâ, Polonia, Italia, &c. *Situs* ho-

Situs. minis αὐτάρκους præprimis ſolet eſſe rectus corporis & membrorum ſtatus. Nam qui nimis eſt ſolicitus de divitiis vel acquirendis vel conſervandis, inclinato & prono ſolet eſſe corpore. (Er hänget den Kopf auf die ſeite) (III.

Habitus. 57. 58.) Et *habitus* tandem τοῦ αὐτάρκους neque eſt nimis luxurioſus, neque nimis abjectus, ſed

mun-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0149-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0150-3

mundus ac mediocris. NB. Iſta, ſi artificium Rhetoricum acceſſerit, facilè amplificari poſſunt, atque exornari. Nos enim, ut intra cancellos nos contineamus, contenti jam ſumus, monſtraſſe materiam.

CAPUT VI.
RATIO EX LOCIS TOPICIS de themate eodem, aliisq; diſſerendi.

DE otio iſto, quod Poëta commendat, diſputaturi monemus, quod illud h. l. non notet vitium aliquod, ut ſæpè & paſſim fit, vel vitii fomitem, de quo intelligendum eſt tritum illud:

OTIA DANT VITIA.

ſed αὐτάρκειαν. (lib. II. part. ſpec. loc. I. §. 2. can. V.) Deinde ſciendum eſt, otium derivari J. C. Scaligero à Græco Deminutivo, quod eſt ὠτίον, h. e. auris, quod hominis αὐτάρκης ſit, ſecurum eſſe de litibus ac rixis arrogantium & avarorum, atque in utramq;

quod dicitur, *aurem* dormire & quieſcere. Ita enim Scaliger in Ænigm.

Quod pauci norunt, Græcâ ut dicatur ab aure,

Datque ideò ſtudiis nomen & acta ſua.

(loc. II.) Unde ſequitur, *otioſum* hoc ſenſu non eſſe, qui nihil omninò agit, ſed qui de contentionibus publicis & privatis, circa acquirendas opes inſtitutis, non eſt ſolicitus, ſecuritate quâdam, aſt laudabili & honeſtâ, mentem tranquillans, (loc. III. §. 2. can. 1.) ipſe laude digniſſimus, cum & ἀυτάρκεια ſeu otium iſtud omni condecorandum ſit laude. (can. 2.) Etſi autem felicius videtur ſubſtitui potuiſſe vocabulum ſive nomen, quale eſt ἀυτάρκεια vel mentis tranquillitas; quia tamen de Poëtæ mente conſtat, de OTII vocabulo, quo uſus Poëta fuit, cum nullo litigabimus (loc. IV. §. 2. can. I. & III.) Eſt enim otium h. l. Poëtæ nihil aliud, quam ſtatus animi placidus ac tranquillus, quo ille con-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0154-4

contentus eſt præſentium rerum & quantitate & qualitate. (loc. V.) Cumque hæc definitio non competat ſtatui animi ſoliciti de acquirendis vel retinendis divitiis, ſequitur, quod ille vocari OTIUM non poſſit. (can.2.) Sunt verò variæ iſtiusmodi *otii* ſpecies. Eſt enim tale otium, ſi ſubſiſtat animus tuus, & quieſcat iis corporis viribus, quas habes, licet exiguæ ſint illæ & exiles valdè. Eſt & tale otium, ſi contentus ſis opibus, victuq́; & amictu, quem ſuppeditat Deus, utut lautiùs cœnare alios, & veſtiri elegantius videas. Eſt quoq; tale otium, ſi læteris iis, quos nactus es, honoribus, ſtatui tuo convenientibus, vel etiam minoribus eodem, neq; ampliores quærites. Ac tale etiam eſt otium, ſi lætus fruaris & utaris ſcientiâ, quam largitus fuit Deus, quanquã illa non adeò eſt ampla. (Loc. VI.) Sufficiat, tẽ, dum es ἀυτάρκης, eſſe numerandum inter virtuoſos. (can. 3.) Hanc itaq; ἀυτάρκειαν vel ideò maxumi faciamus &

commendemus, quôd, ceu conſtat, ſit *virtus*, non quidem corporis, ſed animi. Patet autem omnem *virtutem* commendatione eſſe digniſſimam (Loc. VII. §. 2. can. 3.) Neque tamen nego, majorem deberi laudem illi, qui in omnibus rebus *totam* habet ἀυτάρκειαν, nullo gradu deſtitutam, quâm ei, qui in hoc eſt quidem ἀυτάρκης, v. g. in honoribus, qui exhibentur, ſed non item in alio, v. g. in divitiis corradendis. (Loc. IIX)

Nam materia *circa quam* verſatur ἀυτάρκεια, non ſemper eſt eadem, ut conſtat ex hujus virtutis ſpeciebus. Siquidem iſte contentus eſt corporis ſui viribus, licet infirmis admodum; ille animi dotibus, utpote ſapientiâ, eruditione, &c. hic divitiis & opibus vel mediocribus, vel etiam tenuibus; alius item famâ, qualemcumque tandem ſit nactus. Et quia materia *in quâ* exiſtit ἀυτάρκεια, nempe *anima*, nobilior eſt corpore; ſequitur, virtutem illam longè præſtare virtutibus

cor-

corporis. (Loc. IX.) Forma virtutis iſtius potiſſimùm eſt, neque ampliora, neque illuſtriora deſiderare, ſed præſentibus delectari unicè, & gaudere ſuaviſſimè. (loc. eodem) Ubi igitur hæc forma reperitur, ibi eſt & αὐτάρκεια (can 2.) & contrà, ubi non deprehendis hanc *otii* formam, ibi neque otium datur. Unde homini avaro vel ambitioſo hanc virtutem non licet transſcribere. (can. 3.) Quoad efficientem cauſam, ſciendum eſt, Deum ipſum, omnium virtutum fontem, illam virtutem, quâ de loquimur, excitare in mentibus hominum, ita tamen, ut plurimùm etiam valeant ad producendam eamdem tum exempla aliorum αὐταρκῶν, tum clarorum virorum monita, & exercitatio quotidiana. Poſito itaque, Deum operari in hominis alicujus animo hanc virtutem, homines claros ad illam animum ejusdem incitare ſuis monitis, & hominem ipſum aliorum exemplis incitatum jugiter ſe ad eamdem vir-

tutem] exercere; ſequetur etiam ipſa virtus tamquam effectus. (loc. X. §. 2. can. 1.) Contrà ſi Deus manum ſubtrahat, nullus exemplo ſuo præluceat, nullus moneat & hortetur ad culturam iſtius virtutis, neque homo ſe in eadem exerceat; ipſa poni non poteſt. (can. 2.) Et cum ἀυτάρκης laudetur ob ἀυτάρκειαν, ipſa magis erit laudanda. (can. 5.) Finis ἀυταρκείας eſt nominis celebritas & ſplendor, amor ſingularis Optimorum quorumque, quo hominem ἀυτάρκη proſeqvuntur, vitæ ſuavitas, & gratiſſima animi oblectatio, quâ corpus etiam quodammodo vigere incipit, & pingueſcit cætera mille morbis obnoxium. Prov XV. 13. cap. XVII. 22. & XIIX. 14. (XI. loc.) Proinde qui quieſcere vult ac dormire ſuaviter, & evigilare placidè, ἀυτάρκειαν colat. (can. 1. loc. XI.) Hæc enim cavet, ne corporis vires vigiliis abſumantur paulatim, & curis interrumpatur ſomnus: quod quam præſtans ſit bonum, non æquè capiunt

omnes.

omnes. (Loc. XII.) Scire tamen oportet, otium iſthoc non reperiri in homine quolibet, ſed in eo tantùm, qui agnitâ rerum ſublunarium vanitate, & umbrâ, opes ſpernit, atque honores, mentemq́ue venatur benè compoſitam. (Loc. XIII.) Ac ſanè neceſſe eſt maximopere, honeſtam *antecedere* educationem, & informationem liberalem, quæ mentem erudiat, ac doceat, eamdem, cum Spiritus ſit æternùm duraturus, exſatiari plenè non poſſe rebus corporeis & caducis, ſed iis unicè oblectari rebus, quæ poſt mortem etiam ſeqvuntur cultores ſuos, inter quas etiam numeratur ἀυταρκεια. Ac dici non facilè poteſt, quanta jucunditas animum ἀυταρκȣς *comitetur*, & quæ fama vel mortuum *conſequatur*. (Loc. XIV.) Simillimus enim eſt ille aquæ tranquillæ & puriſſimæ, neq; ullis vel ſordibus permixtæ, vel obnoxiæ fluctibus, in quã quisquis eam intuetur, imaginem ſui contemplatur. Homo enim ἀυταρκης

non patitur animum ſuum affectuum perturbari fluctibus, ac cœno cupidinum velut miſceri & inquinari, prorſus diſſimilis aquæ marinæ, quæ ventorum impetu agitata, mirum in modum fluctibus concutitur, ſpumatq́ue & q. frendet, neque imaginem referre poteſt intuentium. (Loc. XV.) Et major eſt hominis ἀυτάρκους felicitas, quàm quæ olim conſulis fuit Romani, vel hodiè Regis cujusdam potentiſſimi. Etſi enim hi plurimas ſibi gentes vel ſubjecerint, vel ſubjiciant, ſubjectisq́; dominentur, ſibi tamen ipſis rarò dominantur. Áſt verò

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit.

(Loc. XVI.) Contrà miſerrima eſt eorum conditio, qui curarum, de aſſequendis honoribus & opibus ſuſceptarum ſtimulis punguntur. Numquam enim quieſcere, numquam ſecurè dormire poſſunt: ſed vel metuunt opum aut honorum jacturam, vel ſolicitantur de eorundem incremento.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0166-1

to. (XVII.) Optumè igitur Parmenio in Anthol. Græc. lib. I. cap. XII. epigram. I.

Ἀρκεῖ μοι χλαίνης λιτὸν σκέπας· οὐδὲ
τραπέζας
δουλεύσω, μουσέων ἄνθεα βοσκό-
μενος.
μισῶ πλοῦτον ἄνουν, κολάκων τροφόν·
οὐδὲ παρ' ὀφρὺν
στήσομαι· οἶδ' ὀλίγης δαιτὸς ἐλευ-
θερίην.

Nec minus ſcitè Seneca, quid, *inquit*, deducitis naveis? quid manus & adverſus feras, & adverſus homines armatis? quid tanto tumultu diſcurritis? quid opes opibus aggeritis? non vultis cogitare, quam parva vobis corpora ſint? non furor & ultimus mentium error eſt, cum tam exiguum capias, cupere multum? Conſol ad Helv. cap. X. (Loc. XIIX.) Ac ſexcenta talia proferre liceret, ſi liberet. Sed heîc ſubſiſtimus jam, atque movemus manum de tabulâ.

CAPUT VII.

USUS DOCTRINÆ DE ELENCHIS SOPHISTICIS, demonſtratus ex materiâ eadem Horatii.

FInis, cujus gratiâ doctrina de fallaciis iſtis proponitur, non eſt, ut decipiamus aut fallamus alios, ſed ut ab aliorum fallaciis, quibus illaqueare nos conantur, cavere nobis poſſimus, vel rudiorum ac ſtudii Logici tironũ profectus aut judicia explorare.

Placet igitur unum vel alterum Syllogismum Sophiſticum ex tribus illis Horatii Strophis proponere, & quid reſpondendũ ſit, è Medullâ oſtendere.

SYLLOGISMUS.

I. Quodcumque dat vel cauſatur vitia, id non licet rogare Divos, vel Deum.

Otium dat vel cauſatur vitia.

E. Otium non licet rogare Divos, &c.

Maj. prob. quia non licet rogare De-

NÆ

TICIS,
riâ

de falla-
eſt,ut de-
, ſed ut
llaquea-
bis poſſi-
ogici ti-
plorare.
rum Syl-
bus illis
,& quid
tendere.
.

uſatur,
e Divos,

vitia.
are Di-

rogare,
De-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0169-1

Deum, niſi honeſta.

Min. prob. ex πολυθρυλλήτῳ illo: *Otia dant vitia*, & alio aliquo: *Nihil agendo malè agere diſcimus.*

Reſp. Eſt (1.) fallacia *Æquivocationis*. Non enim heîc de otio, quatenus tempus notat, quo nihil agimus ſerii ſive honeſti, loquitur Poëta, ſed de otio, quod Græcis eſt ἀυτάρκεια. (part. ſpec. lib. III. cap. I. § 6.) (2.) eſt & fallacia *Accidentis*, ſi vel maxume otium ſumamus pro tempore, in quo nihil seriò agimus. Non enim otium ipſum, ſed *abuſus* otii cauſatur vitia. (cap II. §. 3.)

II. Quodcunque condidit Lunam, illud creavit eam.

Atra nubes condidit Lunam.

E. Atra nubes creavit Lunam.

Reſp. Eſt fallacia *Amphiboliæ*. Nam *condere Lunam* dupliciter accipitur. Aliquando idem eſt, ac creare Lunam, & ita ſumitur in majore: aliquando verò eſt, Lunæ ſplendorem intercludere, & quaſi obvelare, quò minùs ab

hominibus videri poſſit. Et ita ſumitur in minore (cap. I. §. 7.)

III. Quicumq; rogat Divos otium, ille eſt vivus & rationis compos.
Thrace, vel Thracia rogat Divos otium.
E. Thrace vel Thracia vivit, & eſt compos rationis.

Reſp. Eſt fallacia Æquivocationis. *Thrace* enim ſumitur à Poëtâ metonymicè, pro ipſis Thraces incolis. (c. I. §. 6.

IV. N. furioſus eſt ſanæ mentis.
Thraces ſunt furioſi.
E. Thraces non ſunt ſanæ mentis.

Major prob. quia furioſus eſt, à quo furor numquam recedit, inquit Servius. Et Ciceroni conjunguntur, vecors, furioſus, mente captus. Minor eſt Poëtæ.

Reſp. Eſt fallacia Diviſionis. Poëta enim conjungit hæc: *bello furioſa*, quæ in minore ſubdolè dividuntur. Aliud itaque eſt *furioſus*, & aliud *bello furioſus*. (cap. I. §. 9.)

V. Si nubes eſt, meteorum eſt. Tu

Tu nubes i. e. matrimoniũ inibis.

E. Tu meteorum es.

Reſp. Eſt partim fallacia *Æquivocationis* (c. I. §. 6.) partim fallacia *Proſodiæ*. In majore n. τὸ *nubes* eſt nomen, in minore v. verbum. (cap. I. §. 10.)

VI. Qui eſt Conſul aris, ille & Conſul eſt, & aris quidem præfectus.

Q. Lictor eſt Conſularis.

E. Q. Lictor & Conſul eſt, & aris præfectus.

Reſp. Eſt etiam juxta nonnullos fallacia *Proſodiæ*. Juxta alios fallacia *compoſitionis*. quia in minore conjunguntur duæ voces majoris, Conſul aris, in unam, Conſularis.

VII. Αὐτάρκεια eſt generis fœminini.

Otium Horatianũ eſt αὐτάρκεια.

E. Otium Horatianum eſt generis fœminini.

Reſp. Eſt fall. fig. dict. Eadem n. eſt ratio, atq; illius Syllogiſmi, quem Naſſius poſuit in Elect. Log. pag. 490. ad hanc fallaciam.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0175-0

Animal eſt generis neutrius.
Urſus eſt animal.
E. Urſus eſt generis neutrius. (cap. I. §. 11.)
VIII. Thraces rogant Divos otiũ.
E. Thraces accipiunt otium.

Reſp. Et fallacia conſequentis. (cap. II. §. 4.)

IX. Thraces pharetrâ ſunt decori.
E. Thraces ſunt populi undiquaq; formoſi.

Reſp. Eſt fallacia à dicto ſecundum quid, &c. (cap. II. §. 5

X. Vivitur parvo benè,) verſu Horat. 13.
E. non licet habere multas opes.
Eſt fall. conſeq (cap. II. §. 4.)
XI. Quod circum laqueata tecta volat, id pennas habet & alas.
Curæ circum laqueata tecta volant,
E. Curæ pennas habent, & alas.

Reſp. Eſt fallacia Amphiboliæ. (cap. I. §. 7.)

Nam circa laqueata tecta volare eſt apud Poëtam etiam illos invadere

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0178-7

dere & fatigare, qui in tectis laqueatis habitant.

XII. Si ex quoquam quæras ita:

Summoventne otium & lictor conſularis, ſive dignitas conſularis curas mentisq́; tumultus? Erit fall. ſecund. plures interrogationes. (cap. II. §. ult.) Niſi enim evolvas quæſtiones diſtinctas, ſive affirmaveris quæſtionem propoſitam, ſive negaveris, impinges in veritatem.

Ac tantum etiam de hac materiâ. Si intellexerimus, exigua iſta non diſplicuiſſe candidis Viris, plura σὺν Θεῷ poſthac adjiciemus. DEUS omnibus piis conatibus det felicem ſucceſſum, & incrementum.

FINIS.

OFferunt ſeſe LECTOR BENIVOLE, præter ſpem & opinionem ex nimiâ Typothetarum feſtinatione in *Medulla* quædam errata, quæ candidæ tuæ emendationi relinquo ſimul cum reliquis, quæ facili negotio animadverti queunt.

Pag. 5. lin. 2. lege *honoratiſſimum*. p. 13. l. 13. *Porphyr*. p. 14. l. 13. deleatur διὰ. p. 15. l. 7. διαφερόντων. p. 21. l. 2. ὑποκειμένῳ. p. 22 l. 1. *h. l.* ibid. l. 7. *profunda*. p. 26. l. 3. *rubore*. ibid. l. 20. ὅμοια. l. 21. κατὰ, & τὰς. p. 27. lin. penult. *Ariſto*. p. 29. l. 12. *ratione*. l. 21. εἴδη. p. 31. l. 13. poſt ὅτι, interpone τῆς. p. 32. l. 10. pro πόπε lege πότε. l. 15. περίστασις. p. 33. l. 1. pro ςώματος lege σώματος. p. 35. l. 20. *purè diſparata*. p. 36. l. 15. *diſtribuentes*. p. 37. l. 21. μηδὲν. p. 38. l. 14. *Tunc*. lin. 20. ἀληθεύειν. p. 39. l. 2. *formalis* p. 40. l. 17. pro *ut* lege *aut*. lin. 18. *fit*. p. 41. l. 6. ante vocem *unius* ponendum eſt ſignum numeri binarii II. ibid. lin. 11. *ponatur*, non ponantur. p. 43. l. 9. & 10.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0182-9

univerſalis. p. 44. l. 6. poſt vocem *adjecti* interſerenda ſunt hæc: *v. g. Deus eſt*, *vel tertii adjecti*. p. 51. l. 12. *iidem*. p. 52. l. 8. *bipes*, non bipeſi. lin. ult. *contradictoriæ*. p. 57. l. 16 πιθέντων. p. 62. l. 9. *mutilatè*. l. 13. & 14. *genuina*, non genua. p. 63. l. 10 λαβεῖν. p. 65. l. 1. pro δεα' lege δὲ. ibid. pro πείντας lege πάντας. p. 70. l. 19. *vi formæ*. p. 77. l. ult. ὁμοίȣ. p. 84. l. 20. *ſubjecti*. p. 90. l. 10. *prædicantur*, non dicantur. p. 91. l. 23. deleatur ſemel τὸ *ex*. p. 97. l. 4. *debet*. p. 100. l. 9. *partibus*. p. 104. l. 5. ſub finem deleatur colon. p. 105. l. 11. lege: *ratio*. p. 107. l. 21. ante vocem: teſtimonio, ponendũ eſt A. p. 113. l. 16. *maria*, non materia. p. 114. l. 13. lege: *conjugatis*. p. 118. l. 2. poſt vocem: Speciei, interpone τὸ *in*. p. 122. lin. 15. pro illo, lege *illos*. p. 127. l. 17. pro ſed, lege *ſeu*, &c.

NB. *Praxin Log. nondum, cum errata iſta transmiſi, vidiſſe licuit. Si quid igitur in illâ erratum fuit, à culpa me abſolvet Lectoris cordati candor.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0183-5

Schema oppositionis.

A. Contraria. E

Subalterna — Contradictoria — Contradictoria — Subalterna

I. Subcontraria O

...nt: { N. Arbor est animal
{ O. Arbor est Animal

...qui: { N. Arbor non est planta
{ O. arbor est planta.

Equip. { N. Omnis arbor est planta

...balt: { C. animal est lupus
{ O. Animal est lupus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0185-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0186-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1579-p0187-7